non sit dispositio sufficiens, & proportionata gratiæ: ergo etiam dùm confertur ante Sacramentum. R. D. Maj. Gratia, quæ confertur per Sacramentum Pœnitentiæ, non commensuratur dispositioni pœnitentis aritmethicè, C. proportionalitèr, N. Non itaque gratia per Sacramentum collata sic commensuratur dispositioni pœnitentis, quasi dispositio debeat esse tanta, quanta est gratia, ità ut si gratia sit ad quatuor, etiàm dispositio sit ad quatuor, sicut debet esse in collatione gratiæ extra Sacramentum; commensuratur tamèn proportionalitèr, quia quò major est dispositio in accedente ad Sacramentum, eò majorem recipit gratiam. Nec mirum, quòd non tanta requiratur dispositio, quandò gratia confertur per Sacramentum, quia tùnc confertur ex opere operato; & Deus supplet in adultis partem dispositionis, sicùt supplet totam in infantibus, qui baptizantur. Extra Sacramentum autèm habetur gratia ex opere operantis per actus charitàtis, & contritionis, & ideò Deus dispositionem non supplet.

Obj. 2. Ambrosius, seu Aug. 3. hypognost. dicit, quòd *Pœnitentia est res optima, quæ omnes defectus revocat ad perfectum.* Et Apost. Rom. 5. dicit: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*; atqui utrumque videtur falsum, si merita in toto non reviviscant per pœnitentiam: ergo. Item ex hac sententia sequeretur contra expressa Scripturæ testimonia §. præced. laudata, quòd Deus non redderet annos, quos comedit locusta; quòd impietas impii ipsi noceret, etsi convertatur; quòd Deus obliviscetur operis nostri, &c. ergo. Itèm sequeretur, quòd homo, qui non resurgeret in contritione æquali præteritis meritis, & statim moreretur, punietur in æternum propter peccatum præteritum, atque etiàm tùnc, cùm in cœlo esset beatus. Itèm sequeretur, quòd, qui ante peccatum habebat meritum ut viginti, si resurgat ut duo, non consequetur majorem fructum, quàm qui habebat meritum ut duo, & resurgit ut duo; atqui hæc videntur absurda. Denìquè Trid. sess. 6 can. 32. dicit, opera hominis justificati facta a gratia Dei verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamèn in gratia decedat, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum. Et c. 16 suprà citato, dicit præter ista tria nihil amplius deesse, quominùs censeantur justi promeruisse vitam æternam suo tempore consequendam: ergo ex Trid. quæcumque bona opera per peccatum mortificata reviviscunt, & augmentum gratiæ, & gloriæ, si homo in gratia decesserit, consequentur.

R. ad 1. (*Ibid. art. 2. ad 2.*) quòd Pœnitentia, quantùm est de se, habeat virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiàm promovendi in ulteriorem statum; sed hoc quandoquè impeditur defectu dispositionum ex parte hominis, qui remissiùs movetur in Deum, & in detestationem peccati. Sicùt et àm in Baptismo aliqui adulti consequuntur majorem, vel minorem gratiam, secundum quòd diversimodè se disponunt. Ad 2. (*Ibid. ad 3.*) Sensus Apostoli non est, quòd quantò quis abundantiùs peccat, tantò abundantiorem gratiam habitualem recipiat. Sed sensus est, quòd superabundet gratia superabundanti delicto quoad rationem ipsam gratiæ, quia magis gratis magis peccatori confertur. Adde quòd Apostolus loquatur de gratia Christi, quæ est superabundans, hoc est, plusquàm sufficiens ad delenda omnia, & infinita peccata.

Ad 3. R. Juxta solutionem D. Thom. mòx datam, hæc omnia testimonia vera esse in nostra sententia, attenta ratione Pœnitentiæ, quæ, quàntùm est ex se, potest reparare omnes defectus ad perfectum; quod autèm non fiat ità, accidit defectu dispositionum in pœnitente, qui remissiùs movetur in Deum, & in peccatum. Undè restituetur Deus annos etiàm integros, quos comedit locusta, si sufficientèr homo foret dispositus huic restitutioni. Nec etiam impietas ipsi nocet, quia non datur ipsi minor gratia, & gloria ratione, & merito peccatorum præcedentium, sed quia non se benè præparat ad majorem. Adde, quod præcipuè hoc loco significetur, quòd impietas pœnitentis non ipsi noceat ad damnationem: alioquin nocet, & quoad habitus malos relictos, & quoad reatum pœnæ temporalis. Nec Deus obliviscetur operis nostri, qui quantùm est ex se restituit omnia, ubi fuerint ad ea sufficientes dispositiones i oblivisceretur autèm, si pœnitenti sufficieatèr disposito non redderet. Ad 4. R. cum Goneto, privationem illam juris ad aliquem gradum gloriæ essentialis, quem homo meruit ante peccatum, non esse propriè pœnam peccati præteriti, quasi Deus adhùc intendat per illam punire peccatum pœnitentia deletum; sed est tantùm defectus sequens ex alio defectu, videlicèt, sufficientis dispositionis: sicùt, qui, cum pauciora bona fecit in hac vita, non recipit plura præmia in cœlo, non dicitur puniri.

Ad 5. Id non sequitur juxta explicationem Soti, de qua suprà. Juxta verò communem explicationem, N. Min. Quia hoc non provenit nisi ex defectu dispositionum, quod non est absurdum. Undè primus, attentis meritis prioribus, & pœnitentia, plusquàm secundus recuperare deberet, si sufficientes dispositiones poneret. Ad ultimum. C. totum. Sed, quòd reviviscant merita ad integrum angmentum gratiæ, & gloriæ ad quod ante peccatum valebant, quod est nostra quæstio, non definivit Concilium, sed Theologis disputandum reliquit: quamvis sententiam nostram innuat, ut patet ex Probatione Conclusionis.

Obj. 3. Contra 2. conclusionem cum Banne, Contenson &c. S. Thom. hic art. 5. ad 3. sic ait: *Ille, qui per pœnitentiam resurgit in minore charitate, consequetur quidèm præmium essentiale secundum quantitatem charitatis, in qua invenietur; habebit tamèn gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus, quæ in secunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Idem docet in 3. d. 31. q. 1. art. 4. ad 4. ergo censet S. Doctor, merita non reviviscere ad gloriam essentialem juxta mensuram præcedentis dispositionis, sed tantùm ad gloriam accidentalem. R. N. Conseq. Quin imò contrarium innuit S. Doctor hisce testimoniis, dicit enim, quòd *Ille, qui per pœnitentiam resurgit in minore charitate, consequetur quidem præmium essentiale* (correspondens scilicèt meritis antiquis, de quo procedebat argumentum) *secundum quantitatèm charitatis, in qua invenietur.* Vult ergo solùm, quòd, quia tale jus ad præmium essentiale interdum minus est, quàm illud quod fuit ante peccatum, ob defectum ordinarium dispositionis, & contritionis, in qua pœnitens resurgit, pro illo excessu, & meritis non perfectè vivificatis pœnitens solùm habeat jus ad aliquod præmium accidentale, gaudium scilicèt de illis operibus in prima charitate factis: quod ideò dicit fore majus, quàm gaudium de operibus in secunda charitate factis; quia magis gratis obtinuit per remissionem præmium essentiale illorum, cujus fuerat factus indignus per peccatum, quàm præmium essentiale operum in secunda charitate factorum, quæ nunquàm fuerant mortificata. Hæc ergo D. Thom. testimonia, in quibus tantam vim faciunt adversarii, non militant contra hanc 2. Conclusionem, sed probant 1.

Obj. 4. contra eamdem. Idem præmium meruit Christus pluribus titulis. Et ex Trid. sess. 6. cap. 16. eadem gloria datur justis, & ut hæreditas, & ut præmium: ergo similitèr potest dici, quòd idem gradus gloriæ essentialis detur pluribus titulis, scilicèt titulo præsentis meriti, & præcedentium reviviscentium. R. N. Conseq. Quoad 1. disparitas est, quòd, cum quolibet opus meritorum Christi esset infinitum in ratione meriti, nihil restabat, quod per subsequens opus posset mereri, ideoquè idem variis titulis merebatur, quia alitèr fieri non poterat; non sic autèm in nostro casu, ità Gonet. Disparitas in secundo est, quod, licèt per gratiam constituamur Filii Dei adoptivi, adeoque ejus gloriæ hæredes, noluit tamèn Deus eam nobis conferre nisi propter merita; quia talis modus eam acquirendi est nobilior, & nobis gloriosior. Qua de causa, & quia sunt tituli diversæ rationis, non est inconveniens, quod propter utrumque eadem gloria detur. At vero omnia nostra merita prima, & secunda sunt ejusdem rationis; & non est aliqua ratio, ut in priori casu, cur duplici merito unum præmium respondeat.

DISSERTATIO IV.

DE PARTIBUS SACRAMENTI POENITENTIÆ IN PARTICULARI, ET PRIMO DE CONTRITIONE.

D. Thom. Suppl. Q. 1. 2. 3. 4. & 5.

Auctor q. 90. seq. agit de partibus Sacramenti Pœnitentiæ in generali, de quibus nos egimus in Dissert. 1. Hæc autem sunt quatuor: Contritio, Confessio, Satisfactio, & Absolutio; de quibus in particulari disserere non potuit S. Doct. morte prævenitus, magno Reipublicæ Christianæ detrimento. Quæ vero sequuntur, ex ejus Scriptis in 4. sententiarum collecta sunt in unum, quod vocatur *Supplementum Summæ.* Et, quamvis huic Supplemento sua nec parva insit auctoritas, non tanta tamèn quanta Summæ; quia illic S. Doctor agebat partes Commentatoris, in Summa vero partes perfecti & consummati Doctoris.

ARTICULUS I.

De Quidditate & qualitate Contritionis.

HÆC nomina *Contritio* & *Attritio* (*Suppl. q. 1. art. 1. o.*) per metaphoram translata sunt a corporalibus ad spiritualia. Sicùt enim in corporalibus res dura dicitur atteri vel frangi, quandiù in magnas partes dividitur, conteri autèm, seu comminui, quandò in minutas partes dividitur; ità per similitudinem in spiritualibus cor humanum, suis peccatis & affectibus inhærendo, durum factum & obedire nescium (undè & lapideum vocatur Ezech. 11.) conteri dicitur, dùm virtute divina per pœnitentiam affectum peccati, cui adhærendo durum factum fuerat, totalitèr dimittit: atteri autèm, dùm non ità perfectè dimittit.

Dico 1. (*3. p. q. 85. art. 3. & 4.*) Contritio ut sic, proùt abstrahit a statu veteris & novæ Legis, a perfecta & imperfecta, est *Animi dolor & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Ità in terminis Concilium Trid. sess. 14. cap. 4. cui definitioni si addas ex Trid. *cum voto præstandi reliqua.... quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur*, habebis definitionem Contritionis, proùt convenit statui novæ Legis, coincidentem cum ista Auctoris. (*Suppl. q. 1. art. 1. o.*) *Dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi.* Sufficit autèm istud votum confitendi esse implicitum, sicùt dixi de voto ipsius Sacramenti Dissert. 1. art. 5. §. 3. Require ibi.

Explicatur definitio. Dicitur 1. *Animi dolor*; quia Contritio non est dolor partis sensitivæ, sed affectus rationalis, seu voluntatis. Non raò tamèn ex vera Contritione oritur in appetitu sensitivo ea passio, quæ dicitur dolor, & est laudabilis, quatenùs imperatur à voluntate; non est tamèn ad veram Contritionem necessarius, cùm non sit in potestate hominis. Dicitur 2. *Detestatio*, seu odium; quia dolor nascitur ex odio in subjecto doloris capaci, & ad contritionem necessariò requiritur, ut dicam modò. Dicitur 3. (*Ib. q. 2. art. 1. o.*) *De peccato*, non de pœna peccati; quia contritio in spiritualibus importat voluntatis duræ comminutionem. Hæc autèm voluntatis durities est in malo culpæ, & non pœnæ; dicitur enim voluntas dura, in quantùm ita in suis terminis stat, ut præcepto Legis non cedat. Dicitur 4. *De peccato*, utiquè ut peccatum est, seu ut est malum, & offensa Dei; alioquin non esset actus pœnitentiæ, ut patet ex Dissert. 2. art. 1. & amplius dicemus infrà. Dicitur 5. (*Ibid. art. 3. o.*) *De peccato commisso* non committendo. Peccatum enim nondùm commissum non est expiabile, nec quisquam dolet se commissurum peccatum, quod ex ejus voluntate pendet. Dicitur 6. (*Ib. art. 5.*) *De peccato*, utiquè proprio, non alieno; quia contrario debet esse in eo, quo durities peccati, quod conteritur, præcessit: illud enim idem conteritur, quod priùs durum fuit. (*Ibid. art. 2.*) Nec de originali; quia cùm contritio sit dolor comminuens duritiem voluntatis, non est propriè nisi de illo peccato, quod procedit ex duritia voluntatis, quale non est originale: si tamèn dolor sumatur latè pro quacumque displicentia mali facti præteriti, potest, & debet esse dolor de peccato originali. Dicitur 7. denìquè *Cum proposito non peccandi de cætero*; quia nemo verè dolere potest se aliquid fecisse, si non proponat ampliùs non facere.

Istud autèm propositum videtur, per se loquendo, debere esse explicitum: quia aliàs frustrà Concilium Florent. in compendio fidei, Trid. loco cit. S. Thom. cum Theologis, illud in definitione Contritionis addidissent, nisi intellexissent illud debere esse explicitum, quia implicitum continetur in priori illa parte, *dolor de peccato commisso*; fieri enim non potest, ut jam dicebam, quòd quis verè de peccatis doleat, nisi virtualitèr saltèm statuat ea iterùm non committere. Per accidens tamèn, defectu temporis, vel considerationis, sufficit implicitum, seu virtuale, modò pœnitentem ità suorum peccatorum pœniteat, quòd si adverteret ad futura, proponeret ea numquàm iterare, ut dicit Sylvius hìc post Navarrum.

Si quis ergo occupatus, vel in examinanda sua conscientia, vel in detestanda vita præterita, vel in imploranda Dei misericordia, & petenda venia, vel in excitando in se Dei amorem & dolorem de peccatis, non cogitet actu dicens, volo emmendare vitam, nolo ampliùs peccare; sed bona fide est ad confessionem; verè est contritus, & confessio bona proptèr virtuale propositum in dolore inclusum. Ità laudatus Sylvius. Et ratio est; quia, ut modò dicam, propositum formale non est de essentia Contritionis, nec consequentèr pars essentialis Sacramenti; sed requiritur tantùm de præcepto, quandò quis vult justificari. Observandum hìc pro rudibus, hoc propositum non esse promissionem, seu votum inducens aliquam novam obligationem, sed esse dumtaxàt sinceram voluntatem non ampliùs peccandi, quæ non inducit aliam obligationem, quàm eam quà unusquisque tenetur non peccare.

Porrò hæc tria, scilicèt dolorem, & odium peccati, atque propositum non peccandi, necessariò requiri ad contritionem, patet 1. Quia Concilium Trid. & S. Th. illa ponunt in definitione Contritionis. 2. Quia non destruitur peccatum, nisi detestetur, seu odio habeatur: odium autèm parit dolorem in subjecto capaci; & ad dolorem & odium alicujus rei sequitur; tanquàm proprietas, propositum eamdem in posterum non perpetrandi. 3. Quia vera contritio importat veram conversionem voluntatis; conversio autèm voluntatis est à termino a quo, scilicèt a veteri vita per odium & dolorem, ad terminum ad quem, scilicèt novam vitam per propositum emmendæ, accedit enim & recedit voluntas per actus suos. 4. Hæc tria requiriuntur ad recontiliationem inter homines: ergo & inter Deum & homines.

Sed difficultas quædam est, àn Contritio consistat essentialitèr formalitèr in istis tribus, àn in aliquo tantùm, & in quo? Pro cujus resolutione brevitèr Dico 2. Essentia Contritionis non consistit formalitèr in istis tribus, sed formalitèr in solo dolore, præsuppositivè in odio, & consecutivè in proposito. Prob. 1. Pars. Actus primarius virtutis specialis debet esse unus, & non aggregatum ex pluribus actibus specie distinctis; atqui contritio est actus primarius virtutis specialis pœnitentiæ, & hi tres actus, odium, dolor, & propositum, specie distinguuntur: ergo. prob. Maj. Actus primarius virtutis specialis est illi similis, ab ipsa enim immediatè elicitur, & ipsa per illum specificatur; atqui plures actus specie distincti non possunt esse similes uni virtuti speciali, cùm sit simplex qualitas unius speciei: ergo.

Prob. 2. Pars. 1. Ex Auctore, qui hìc art. 1. definiens Contritionem, quòd sit *Dolor de peccatis*, &c. dicit dolorem esse genus in hac definitione. 2. Quia, cum contritio sit actus primarius pœnitentiæ, ut jam dictum est, in eo actu formalitèr consistit, qui respicit peccatum ut offensam Dei aliqua satisfactione expiabilem, ut patet ex dictis de Pœnitentia virtute; atqui talis actus est dolor, & non odium: ergo. Prob. Min. Actus, qui respicit peccatum ut offensam Dei aliqua satisfactione expiabilem, debet aliquid adimere a peccatore, quod quodammodò offerat Deo; atqui odium peccati nihil a peccatore adimit, dolor aliquid adimit; quia per illum patitur aliquod malum pœnæ, scilicèt tristitiam: ergo. Confirm. 1. Contritio est formalitèr pœnitentia; atqui pœnitere, formalitèr loquendo, est pœna, seu dolore teneri. Confirm. 2. Si contritio formalitèr consisteret in odio peccati, reperiretur in Beatis, qui summo odio prosequuntur peccatum, falsum Consequens: ergo. Tertia & 4. Pars patent. Odium enim alicujus rei causat dolorem in subjecto doloris capaci; & ad dolorem sequitur tanquàm proprietas propositum eamdem rem rursùs non perpetrandi.

Dices 1. S. Th. hìc & alibi sæpè dicit, contritionem esse displicentiam peccati; displicentia autèm est odium: ergo. R. S. Th. loqui in sensu causali, non formali; vel sumit displicentiam pro dolore, sicùt sæpè accipitur complacentiam pro gaudio.

Dices 2. Si quis diligeret perfectè Deum, & consequentèr peccatum odio haberet, absquè eo quòd cogitaret de dolore, esset verè contritus: ergo. R. 1. N. Sapositum Antecedentis. Non videtur enim possibile, quòd quis summo odio habeat peccatum, & non doleat se illud commisisse; dolor enim, ut dictum est, sequitur ad odium in subjecto capaci. 2. Dato Antecedente, iste peccator non foret formalitèr contritus, sed virtualitèr tantùm.

Dices 3. Contritio debet constitui in eo actu, qui per se primò opponitur peccato, sed odium peccati est id, quod per se primò opponitur peccato; dolor enim, ut diximus, sequitur ad odium: ergo. R. D. Maj. Contritio debet constitui in eo actu, qui per se primò opponitur peccato, ut est contrà summum bonum præcisè, N. ut est offensa Dei expiabilis per satisfactionem, C. & distincta Min. ad sensum Maj. N. Conseq. Solutio patet ex probatione Conclusionis, & ex dictis de Pœnitentia virtute, quam provavimus esse partem potentialem justitiæ.

Dico 3. Contritio debet esse supernaturalis. Patet 1. Ex Concilio Trid. sess. 6. Can. 3. ubi post Concilium Araus. 2. sic definit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs S. inspiratione, atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* 2. Ex Innocentio XI condemnante hanc propositionem: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam;* 3. Ratione, quia nulla est relatio, nulla connexio ordi-

dinis naturalis cum supernaturali, ad quem spectat justificatio hominis. Hinc inferes, quòd, qui dolet de peccato, quia repugnat rationi, vel convictui humano, sive quia ex illo sequitur dispendium famæ, vel bonorum temporalium, & similibus motivis naturalibus, insufficientèr & infructuosè conteratur; secùs, si doleat de peccato, ut est contrà Legem divinam (sic enim intelligitur ejus turpitudo, de qua Concilium Trid. sess. 14. c. 4.) vel ut est inductivum pœnarum purgatorii, inferni, amissionis gratiæ, gloriæ, &c. hæc enim pertinent ad ordinem supernaturalem, nec nisi fide supernaturali cognosci possunt: & ideò, quamvis hujusmodi contritio non sufficiat ad justificationem etiam cum Sacramento, nisi interveniat aliquis amor Dei benevolus, ut dicemus infrà, ad illam tamèn disponit.

Dico 4. Contritio debet esse vera & sincera; ità ut si quis conteratur fictè, aut se credat verè contritum, & non sit, sicque accedat ad Sacramentum, neque effectum Sacramenti, neque ipsum Sacramentum recipiat; quia contritio vera est pars essentialis Sacramenti. Sinceritas autèm contritionis non ex verbis pœnitentis præcisè estimanda est, sed maximè ex operibus, ex mutatione vitæ, ex fuga occasionum, ex praxi virtutum, juxtà illud Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Ad hæc attendant Confessarii, præsertim pro peccatoribus inveteratis & consuetudinariis, & iis, qui versantur in ocasione proxima.

ARTICULUS II.

De quantitate Contritionis.

QUantitas contritionis potest distingui triplex; appretiativa, intensiva, & extensiva. Appretiativa spectat objectum, quod pluris æstimatur, quàm quodvis aliud, etsi non toto animi conatu id fiat. Intensiva spectat subjectum, in quo magis radicatur, & per gradus augetur. Extensiva expectat multitudinem peccatorum.

Dico 1. (*Suppl. q. 3. art. 1. o*) Dolor de peccatis, qui est essentialiter contritio, debet esse omnium dolorum maximus appretiativè; hoc est, peccator debet sic detestari peccata, ut pro nulla re mundi velit illa committere. Prob. 1. Ex illo Joëlis 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro*; quod debet saltèm intelligi de conversione & contritione appretiativa supèr omnia. 2. (*Ibid.*) Tantò magis aliquid displicet, quantò magis ejus contrarium placet; atqui contrarium peccati placet super omnia: ergo. Prob. Min. Contrarium peccati est finis ultimus; avertit enim peccantem a fine ultimo, & ideò ipsi contrariatur; atqui finis ultimus supèr omnia placet, propter ipsum enim omnia fiunt: ergo. 3. Dolor est de malo: ergo juxtà rectam rationem de majori malo debet esse major dolor, saltèm appretiativè; atqui peccatum est omnium malorum maximum: ergo de peccato debet esse maximus dolor appretiativè.

Observandum est tamèn, collationes malorum in particulari cum peccato non esse faciendas a Pœnitentibus, saltèm vulgaribus, neque a confessariis esse eis proponendas, puta, àn mallent hìc, & nùnc mortem atrocissimam, jacturam honoris, vel omnium bonorum, &c. pati, potiusquàm Deum offendere? *Quamvis enim*, inquit Auctor (*Suppl. q. 3. art. 1. ad 4.*) *talis debeat esse pœnitentis dispositio, non tamèn de eis tentandus est; quia affectus suos homo non de facili mensurare potest; & quandoquè illud, quod minùs displicet, videtur magis displecere, quia est propinquius nocumento sensibili, quod magis est nobis notum.* Et iterùm (*Quodl. 1. art. 9.*) *Sicut delectabilia plùs movent in particulari consideratà, quàm in communi, ità terribilia plùs terrent, si in particulari considerentur; & aliqui sunt, qui minori tentatione non cadunt, qui fortè majori caderent... Et ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem, & præbere occasionem peccandi.*

Dico 2. Dolor, ac detestatio voluntatis de peccatis non debet necessariò esse maximus omnium dolorum intensivè. Prob. (*Ib.*) Intensio actûs voluntatis provenit ex vehementia objecti moventis ipsam, indè enim fit, quòd majori conatu & fervore feratur in ipsum; atqui peccatum non est objectum vehementiùs movens voluntatem ad dolorem, quàm quodvis aliud malum: ergo. Prob. Min. Objectum sensibile vehementiùs movet voluntatem, quàm spirituale, qualè est peccatum, ut est offensa Dei: ergo. Prob. Ant. Quò objectum est propinquius voluntati, eo vehementiùs illam movet; atqui objectum sensibile pro hoc statu est ipsi propinquius, quàm spirituale: ergo prob. Min. Sensibilia sunt immediata & proxima sensibus; atqui voluntas pro hoc statu operatur conformièr ad illos, & ab ipsis dependet, quatenùs sequitur cognitionem intellectûs, qui pro hoc statu desumit cognitionem a sensibus: ergo.

Confirm. 1. ab absurdo. Si omnium dolorum maximus itensivè requireretur, sequeretur, quòd ex duobus, qui æquè intensè dolerent de peccato, unus justificaretur, alter non; pone enim casum, quòd unus intensè doleat de peccato, sed intensiùs de morte Patris; alter æquè intensè doleat de peccato, sed minùs de morte Patris; hic justificabitur, non ille; atqui absurdum Consequens: ergo & Ant. Confirm. 2. Amor charitatis non debet esse omnium maximus intensivè, ut docetur de charitate: ergo nec dolor de Dei offensa. Hinc non statim sunt culpandi, qui de amissione Parentum, Amicorum, Bonorum, &c. intensiùs dolent, etiàm dolore voluntatis, quàm de peccato; id enim sequitur naturam rerum: convenit tamèn, ut saltèm conentur intensiùs dolere de peccatis, quàm de alia re mundi: imò inordinatum esset & illicitum, si eligerent intensiùs dolere de alio malo, quàm de peccato; quia hoc esset judicare, esse aliquod majus malum, quàm peccatum, ideoque de ipso magis appretiative dolere; secùs autèm, quandò major intensio doloris sequitur ex conditione naturæ, ut dictum est in probatione Conclusionis.

Dices. Ex variis locis Scripturæ, Deuteron. 4. Joël 2. Michæ 4. Isa. 40. Matth. 11. &c. habetur quòd conversio debeat fieri in toto corde, in jejudio, fletu, & planctu, & in tota tribulatione animæ; ergo summo, & maximè intenso dolore. R. N. Conseq. Sicùt enim præceptum diligendi Deum ex toto corde non intelligitur de totalitate intensionis, sed de totalitate appretiationis, *Ità ut diligens nihil cogitet, nihil velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium*, ut ait S. Th. 2. 2. q. 24. art. 8. sic præceptum contritionis; ità ut pœnitens sic detestetur peccatum, ut pro nulla re mundi velit illud committere.

Inst. Deus est summum bonum, & peccatum est summum malum: ergo Deus est summè ètiam intensivè diligendus, & peccatum summè intensive detestandum. R. Totum per se esse verum, sed non ex necessitate præcepti, attenta conditione naturæ humanæ, ut docet Auctor loco citato.

Dico 3. (*Ib.*) Dolor de peccatis, qui est in parte sensitiva, non debet necessariò esse maximus, qui in ea esse potest. Prob. (*Ibid.*) Dolor de peccatis, qui est in parte sensitiva, causatus ex dolore voluntatis, vel est ex necessitate naturæ, secundùm quod vires inferiores sequuntur motum superiorum; vel ex èlectione, secundùm quòd homo pœnitens in se ipso, seu in parte sensitiva hunc dolorem excitat, ut de peccatis doleat; atqui neutro modo oportet, quòd sit maximus dolor: ergo. Prob. Min. pro 1. parte. Major dolor est in sensitiva parte ex læsione sensûs, quàm sit ille, quia ex ipsa necessitate naturæ redundat ex ratione; & qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, major est quàm qui redundat ex ratione de spiritualibus deliberante, qualia sunt peccata; quia sensus, seu vires inferiores vehementiùs moventur a propinquioribus & propriis objectis, quæ sunt sensibilia, quàm a remotioribus & alienis: ergo dolor de peccatis in parte sensitiva secutus ex necessitate naturæ non est omnium maximus. Prob. Min. pro 2. Part. 1. Affectus inferior non sempèr superiori ad nutum obedit, ut tanta & talis passio sequitur in inferiori appetitu, qualem ordinat superior; ratio enim dominatur appetitui sensitivo politicè tantùm, non despoticè. 2. Passiones a ratione assumuntur in actibus virtutum secundàm mensuram quamdam (virtus enim consistit in medio); atqui quandoque dolor sensitivus, qui est sine virtute, mensuram nullam servat, sed excedit: ergo dolor de peccatis in parte sensitiva ex elecione assumptus non debet esse omnium maximus.

Hinc iterùm veniunt excusandi & consolandi vulgares, qui amariùs & intensiùs sensibilièr deflent mortèm parentum, aut amicorum, aliarumque rerum sensibilium, quàm Dei offensam & amissionem: modò appretiativè magis Deum diligant, quàm Parentes; & magis appretiativè ejus offensam detestentur, quam amissionem cujuscumque rei. Talis enim dolor sensibilis provenit ex natura, scilicèt ex objecto sensibili & viciniori, quod vehementiùs movet sensus, & ideò non vergit in culpam. Imo quandoquè nullus sentitur, nec est in potestate hominis, ut habetur, maximè quando est duri sensûs, vel aliundè lætitia cumulatur; adeoque non est absolutè necessarius ad contritionem, ut jam alibi diximus. Saluberrimum est tamèn ad tantem dolorem conari & se excitare, utpotè qui causa esse solet majoris detestationis etiam appretiativè.

Verum, dato non requiri, quòd dolor de peccatis, qui est in voluntate, sit omnium maximus intensivè, restat difficultas, àn non saltèm debeat esse intensus ad certum gradum, ut sit dispositio sufficiens ad justificationem, sive ut ad eum sequatur immediatè justificatio: & est quæstio de justificatione tàm cum Sacramento, quàm extrà Sacramentum. Hujus difficultatis resolutio pendet ex dicendis infrà de Attritione. Interìm breviièr

Dico 4. Ad justificationem cum Sacramento nullus requiritur intensionis gradus in attritione, modò habeat aliundè conditiones requisitas. 1. Quia alias scrupulus injiceretur conscientiis Pœnitentium, qui nec intensionem, nec intensionis gra-

gradùm discernere possunt. 2. Ex usu & praxi Ecclesiæ. Non enim solent Confessarii exigere a Pœnitentibus ullam doloris intensionem, sed tantùm ut ex animo Dei offensam detestentur supèr omnia. 3. Quia aliàs non esset facilior justificatio cum Sacramento, quàm sine Sacramento; si quidèm attritio intensa sufficiat ad justificationem sine Sacramento, ut modò dicam.

Dico 5. Ad justificationem extra Sacramentum, dolor procedens ex charitate sive habituali, sive actuali, nullum requirit intensionis gradum; quia quilibet charitatis actus, quantumvis debilis & remissus, supponit peccatorem Deo amicum & reconciliatum, ut fusiùs dicam infrà.

Dico 6. Attritio, seu dolor de peccatis, conceptus ex, seu cum amore Dei benevolo non sufficit ad justificationem sine Sacramento, saltèm extrà casum necessitatis, nisi sit intensus ad certum gradum; quia potest dari amor Dei benevolus debilis & remissus, qui non sit charitatis, nec sufficiat ad justificationem extrà Sacramentum, ut probabimus infrà: ergo & dolor ex isto amore conceptus. Et sanè quis dicat, aut credat, peccatorem hoc ipso, quo benè afficitur erga Deum, aut ipsi benè vult, statim justificari? Si ità sit, nullus, aut vix ullus accedet ad Sacramentum non justificatus, cùm nullus, aut vix ullus sit, a quo si petas nùm amet Deum, qui non respondeat & sincerè, *amo.*

Juxtà sensum hujus Conclusionis intelligi potest celebris textus Catech. Romani, de quo multùm controvertitur inter Theologos, qui parte 2. cap. 5. n. 32. dicit: *Ut enim concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, intensam esse opportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit?*

Si petas, undè innotescet sufficientèr intendi attritionem, ut ad eam statim sequatur justificatio? R. videri sufficientèr intensam, si procedat ex solo amore Dei benevolo prædominante sine timoris adminiculo, saltèm in communibus & ordinariis casibus; sive ut alii dicunt, si procedat ex amore effectivo & efficaci, & non ex amore affectivo tantùm & inefficaci: quia videtur congruere Dei bonitati, ut Pœnitentes sic purè & intensè eum diligentes vicissim diligat, cum nihil, aut vix aliquid amplius ipsi offerre possint; deque isto amore intelligi possunt hæc Christi verba Joann. 14. *Si quis diligit me.... Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* At, quamvis Pœnitens probabilièr conjicere possit se moveri contra peccata ex solo amore Dei prædominante, vel effectivo & efficaci, id tamèn ipsi certò constare non potest; est enim inscrutabile cor hominis ipsi homini, & sæpè sibi ablanditur, neque certò scire potest, àn sit odio, vel amore dignus, undè dicit S. Th. (*Q 24. de verit. art. 15.*) *Non qualiscumque motus voluntatis est sufficiens præparatio ad gratiam, sicùt nec qualiscumque dolor sufficit ad remissionem peccati; sed oportet esse aliquem modum, qui quidem homini notus esse non potest.*

Dixi in Conclusione: *Saltèm extrà casum necessitatis*; quia quidam indubitantèr asserunt, in casu necessitatis, quandò actualem susceptionem Sacramenti excludit impossibilitas, non voluntas, sufficere attritionem ex qualicumquè Dei amore conceptam. Fundantur maximè in eo, quòd Innocentius III. ex August. & Ambros. sic dicat cap. *Apostolicam* de Presbyt. non baptizat. *Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in S. Matris Ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudia adeptum, adserimus incunctantèr. Lege supèr 8. libro Augustinum* (seu potiùs l. 4. de Baptis.) *ubi inter cætera legitur Baptismus invisibilièr ministratur, quem non contemptus Religionis, sed terminus necessitatis excludit. Librum etiam Ambrosii de obitu Valentiniani idem asserentis evolve. Sopitis igitùr quæstionibus Doctorum, Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua juges preces hostiasque Deo offeri jubeas pro Presbytero memorato*; atqui, inquiunt præfati Auctores, eadem est ratio de Cathecumenis respectu Baptismi, ac de Pœnitentibus respectu Sacramenti Pœnitentiæ: ergo.

Nos quidèm id cum aliquali fiducia præsumimus, non ex vi contritionis imperfectæ, quæ non est ex se efficacior in articulo mortis, quàm extrà; sed ex infinita & impensa Dei misericordia & merito Passionis Christi. Securitatem tamèn non damus; tùm quia nihil hac de re certò revelatum habemus in Scriptura; tùm quia auctoritas citata non ità urget, quin possit dici SS. Patres ità locutos fuisse, quia præsumebant tales Catechumenos, seu pœnitentes fuisse contritos, aut intensè attritos; tùm tandèm, quia, si res foret adeò certa, non esset ratio, cur Sacerdotes tàm solliciti forent circà Sacramenta extrema patientibus conferenda, vel cur *Rei animarum* dicerentur a SS. Patribus, dùm id negligunt, si quidèm tùnc nullus periret defectu Sacramenti, sed defectu propriæ dispositionis. Si enim habeat amorem, sine Sacramento justificabitur; & si non habeat, etiàm cum Sacramento non justificabitur secundùm nos.

Dixi in Responsione ad petitionem: *Saltem in communibus & ordinariis casibus.* Quia in casibus extraordinariis potest contingere, quòd amor, qui indigeret adminiculo timoris, esset nihilominùs dispositio sufficiens ad justificationem extra Sacramentum. Pone duos homines destinatos ad martyrium, unum per gladium, alterum per combustionem. Primus ex solo Dei amore, nequidèm cogitando de pœnis Inferni, perimitur, & iste amor prædominans & efficax est dispositio sufficiens ad justificationem. Alter, quamvis intensiore amore incensus, ut se contra terribilem combustionem defendat, advocat in auxilium considerationem pœnarum inferni; & iste amor est etiam sufficiens ad justificationem consequendam, cùm sit perfectior & intensior amore primi, licèt in hoc casu urgentiori & extraordinario adjuvetur timore.

Dico 7. (*Hic q. 3. art. 2. o.*) Dolor rationis de peccato non potest esse nimius, benè tamèn dolor sensibilis. Ratio 1. partis est; quia amor charitatis non potest esse nimius; atqui eo intento, dolor rationis de peccato intenditur: ergo. Ratio 2. partis est, quia ex dolore sensibili intenso potest ità debilitari corpus, ut sit insufficiens ad ea, quæ sunt agenda. Neque obstat 1. parti, quòd virtus moralis, qualis est pœnitentia, consistat in medio; non enim virtus dicitur consistere in medio, quasi posset ab ea elici actus nimius, id namquè est impossibile; sed quia potentia circa illius materiam potest excessùm facere, sicùt in nostro casu voluntas potest circa materiam pœnitentiæ ultrà modum intendere dolorem sensibilem.

Dico 8. (*Ib. art. 3. o.*) Dolor rationis debet esse major appretiativè de uno peccato, quàm de alio; quia in peccato gravioti est major ratio doloris, quàm in leviori; cùm sit major Dei offensa. Nec refert, quòd diximus de quovis peccato mortali esse super omnia mala dolendum; id enim intelligitur de malis a peccato distinctis. Cæterùm (*Ib. ad 2.*) ut censeatur aliquis hoc modò dolore, non est omninò necessarium, quòd inter peccata faciat actualem comparationem; sed satis est, quòd omnia detestetur quatenùs sunt offensa Dei, talis enim detestatio fertur implicitè supèr singula secundùm gradum & ordinem cujusque: sicùt, quandò diligo unam communitatem, vel aliud totum, virtualitèr plùs aut minùs diligo has, aut illas partes secundùm ordinem & gradum, quem habent in illa communitate, vel in illo toto. Contra hanc Conclusionem impingunt, qui plus abhorrent peccata, quæ magis humanæ existimationi, quàm Dei honori adversantur, v. gr. furtum, quàm blasphemiam; ità ut peccent mortalitèr, si inter peccata comparata sit magna inæqualitas; venialitèr, si sit parva.

Dico 9. (*Hic q. 2. art. 6. 3. p. q. 87. arte 1. 2. q. 113. art. 5. ad 3. q. 7. de malo art. 11. ad 3.*) Contritio debet esse de omnibus & singulis peccatis. De omnibus: quia contritio debet esse de peccatis, ut sunt offensa Dei, conveniunt autem omnia in hac ratione; undè non potest esse de uno, quin sit de omnibus. De singulis per se loquendo, non hoc sensu, quòd singulis peccatis debeat respondere sua singularis contritio (quamvis & id sit salutare), cùm nec sit necesse ea sic singillatim confiteri; sed aliquandò debeant plura sub uno numero accusari, dicendo, v. gr. deciès, vigesiès; sed hoc sensu, quòd singula debeant recogitari, & supèr omnia singillatim recogitata formari una contritio, quæ proindè non sit de omnibus confusè tantùm, sed vi præcedentis recogitationis sit etiàm de singulis, ac ea ratione possit dici specialis & distincta. Ratio est; quia contritio est motus conversionis aversioni contrarius, & reparatio offensæ Dei; atqui per quodlibet peccatum mortale fit aversio, & Deus offenditur: ergo, quantum est ex se, quodlibet exigit contritionem. Adde, quòd Jure naturæ, antequàm Sacramentum esset institutum, quilibet in sua conversione tenebatur quodlibet peccatum agnoscere, & Deo confiteri. Undè illud Ps. 31. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea*: & posteà: *Dixi, confitebor adversùm me.* Per accidens tamèn, si quis eliciat actum ferventissimæ charitatis, aut contritionis generalis, & desit vel tempus, vel opportunitas, vel reflexio, vel notitia hujus singularis contritionis faciendæ, justificabitur; modò sciens ejus obligationem non renuat positivè illam loco & tempore facere; quia in ista ferventissima contritione generali includitur propositum de singulis loco & tempore pœnitendi eo modo, quo dictum est.

ARTICULUS III.

De necessitate Contritionis.

DIco 1. Contritio est necessaria, non solùm necessitate mèdii, sed & præcepti, tùm naturalis, tùm divini positivi, tùm Ecclesiasticii. Prima Pars constat ex dictis Dissert. 3. art. 1. de necessitate Pœnitentiæ, cujus contritio est actus primarius. Vide.

Ratio 2. Partis est: (3. *p. q.* 84. *art.* 7. *ad* 1.) quia Jure natu-

turali tenetur homo compensare injuriam alteri illatam; atqui injuria Deo illata per peccatum compensari non potest, nisi per contritionem: ergo de illa datur præceptum naturale. Intellige præceptum naturale, non proùt distinguitur contra supernaturale, sed proùt distinguitur contra positivum; est itaquè præceptum supernaturale, non tamèn positivum, sed connaturale ordini elevationis, sicùt præcepta Fidei, Spei, & Charitatis. Prob. 3. Pars ex multis Scripturæ locis Isa. 1. Jerem. 18. Ezech. 18. Act. 2. Matth. 3. ubi pœnitentia præcipitur. Hinc Trid. ses. 14 c. 4. *Fuit*, inquit, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Ratio est; quia hoc ipso quo contritio est necessaria necessitate medii, datur de illa præceptum divinum positivum; pertinet enim ad Legislatorem præcipere ea, quæ sunt saluti civium necessaria. Neque obstat, quòd gratia sit necessaria ad salutem, & tamèn non dàtur de illa speciale præceptum: disparitas est, quòd gratia non sit opus nostrum, sed Dei; contritio autem est opus nostrum. Quarta Pars patet ex præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ, quæ stare non potest absquè contritione.

Dices 1. Speciali præcepto opponitur speciale peccatum; atqui impœnitentia non est speciale peccatum, sed tantùm circumstantia illius peccati, in quo perseverat peccator: ergo. R. D. Min. Impœnitentia, sumpta pro positivo proposito non pœnitendi, non est speciale peccatum, N. sumpta pro simplici omissione pœnitentiæ, subdistinguo: non est speciale peccatum, quandò non urget præceptum contritionis, C. quandò urget, N. Sicùt defectus charitatis est tantùm circumstantia peccati, in quo quis perseverat, quandò non urget illius præceptum; quando verò urget, est speciale peccatum, accusandum in Confessione, sicùt & defectus contritionis in pari casu.

Dices 2. Non est speciale præceptum de conservanda gratia: ergo nec de illius recuperatione. R. N. Conseq. Disparitas est, quòd præcepto, quo prohibetur peccatum, etiam prohibeatur amissio gratiæ, quæ incurrit per illud; & sic non est opus alio speciali præcepto: at reparatio injuriæ Deo factæ non præcipitur aliquo alio præcepto.

Inst. Contritio præcipitur etiàm præcepto charitatis: ergo. R. N. Ant. Præceptum enim charitatis est tantùm indirectè, & ex consequenti de contritione: de actibus autèm virtutum dantur per se, & directè præcepta.

Gravior est difficultas de tempore, quo præceptum contritionis obligat. Quidam volunt obligare per se statim ac peccatum commissum est; alii statim ac memoriæ occurrit; alii diebus Dominicis & Festis, quandò est obligatio audiendi Sacrum; alii semèl in anno, quandò urget præceptum Confessionis annuæ. Pro cujus dubii resolutione

Dico 2. Quamvis sit omnibus suadendum, tanquàm salutare consilium, statim pòst peccatum conteri; attamèn præceptum contritionis non obligat per se statim ac peccatum comissum est, neque statim ac memoriæ occurrit, neque singulis diebus Dominicis & Festis. Est communis contra paucos, tàm antiquos, quàm recentiores, & manifestè D. Th. hìc q. 6. art. 5. ubi, quamvis agat de præcepto Confessionis, quæcumque tamèn adfert, pariter militant de præcepto contritionis. In primis dicit ad 2. *Non est de necessitate salutis corporalis, ut statim medicus quæratur, nisi quandò necessitas curationis incumbit; & similitèr est de morbo spirituali:* quod, ut patet, convenit paritèr contritioni. Similitèr ejus rationes, quibus

Prob. 1. & 2. Pars. (*Infr. q. 6. art. 5. o. & ad 3.*) Præceptum contritionis est affirmativum, nempè, *Pœnitentiam agite*; atqui omnium consensu hæc est natura præcepti affirmativi, ut, quamvis obliget sempèr, non tamèn statim, & pro sempèr; sed determinato tempore, & positis certis circumstantiis, nec possunt assignari circumstantiæ, propter quas obliget statim ac peccatum commissum est, aut statim ac memoriæ occurrit, ut patebit ex sol. Obj. ergo. Confirm. (*Ib.*) Tempus, quo obligat præceptum affirmativum, non est, quandò commodè impleri potest, aliàs dives non dans eleëmosynam de superfluo cuilibet pauperi occurrenti peccaret mortalitèr; sed quandò tempus necessitatem urgentem inducit; atqui, licèt statim pòst peccatum commissum, aut statim ac memoriæ occurrit, sit opportunitas pœnitendi, indè tamèn non inducitur necessitas urgens: ergo.

Prob. 2. Ab inconvenientibus. Si præceptum contritionis obligaret statim pòst peccatum commissum, novum peccatum committeret qui non statim conteretur, imò continuò peccaret, totque multiplicarentur peccata, quot momenta effluerent usquè ad impletionem hujus præcepti. Similitèr, si obligaret statim ac memoriæ occurrit, peccator toties peccaret mortalitèr, quotiès non pœnitendo recordaretur peccati, centiès in hora, si centiès in memoriam redeat peccatum; atqui hæc sunt dura nimis & contra communem sensum fidelium, qui de istis peccatis non se accusant, nec de eis interrogant Confessarii: ergo.

Prob. 3. Pars. Nullibi legitur, nec ulla ratione probatur præceptum contritionis obligare singulis diebus Dominicis & Festis: ergo sine fundamento asseritur. Prob. Ant. Si alicubi legeretur tale præceptum, esset, ut volunt Patroni illius sententiæ, Levit. 16. ubi dicitur: *Sabbathum requietionis est, afflìgetisque animas vestras.* Et si aliqua ratione fulciretur, esset, quia finis præcepti colendi dies festos est animam Deo sanctificare, quod fieri non potest, nisi per contritionem: vel quia his diebus tenemur Deo vacare, peccator autèm non potest Deo vocare, nisi priùs de peccatis conteratur; atqui ex his nihil evincitur pro sententia adversa: ergo. Prob. Min. Non ex loco illo Levitici; est enim ibi præceptum de speciali festo expiationis, quod occurrebat semèl tantùm in anno die decima mensis septimi: undè nihil ad propositum. Adde, quòd erat tantùm legale, quod jam cessavit. Non ex 1. ratione: quia finis præcepti non cadit sub præcepto, sed tantùm media huic præcepto propria; contritio autèm non est medium sanctificationis proprium præcepto colendi festa, sed præcepto Pœnitentiæ, quæ sunt diversa, unum Religionis, aliud Justitiæ. Non ex 2. ratione: quia homo debet his diebus vacare Deo per media tali præcepto propria, scilicèt exhibendo illi cultum per opera Religionis, & cessationem ab operibus servilibus, quæ fieri possunt a peccatore: ergo. Confirm. Communis sensus fidelium est, satisfieri præcepto de sanctificandis festis, si se abstineant ab operibus servilibus, & divinis Officiis attentè ac religiosè assistant. Itèm nullus se accusat, quòd non elicuerit actum contritionis diebus Dominicis & Festis, nec de hoc interrogant Confessarii: ergo.

Dico 3. Præceptum contritionis per se obligat in morali periculo mortis, aut perpetuæ amentiæ. Extrà illud verò sic obligat, ut peccator non possit diù sine novo peccato differre illius adimpletionem. Prima pars constat; quia tùnc maximè urget necessitas Deo satisfaciendi, & ejus reconciliationem quærendi; quod si tùnc omittat peccator, periculum est, ne id unquàm præstet, & in peccato suo moriatur. Obligat igitùr per se hoc præceptum instante pugna, tempore pestis, periculosæ navigationis, morbi lethalis, &c.

Secundam partem inclamat Scriptura: Eccli. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Inculcant SS. Patres, dùm invehuntur in eos, qui suam conversionem procrastinant; atque evincit hoc fundatissimum Auctoris. (1. 2. *q.* 109. *art.* 8. *o.*) principium: *Cùm enim homo*, inquit, *non habet cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando ab eo separari vellet, occurunt multa, propter quæ consequenda vel vitanda homo recedit a Deo, contemnendo præcepta ejus; & idò peccat mortalitèr, præcipuè quia in repentinis homo operatur secundùm finem præconceptum & secundùm habitum præexistentem, ut Philosophus dicit, quamvis ex præmeditatione rationis homo possit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti & præter inclinationem habitûs: sed quia homo non potest sempèr esse in tali præmeditatione, non potest contingere, ut diù permaneat, quin operetur secundùm consequentiam voluntatis deordinatæ a Deo, nisi citò per gratiam ad debitum ordinem reparetur*: ergo ratione periculi, in quo versatur peccator iterùm labendi, non potest diù differre contritionem.

Sed quamdiù debeat differri, ut peccator censeatur hoc præceptum transgredi, & peccare mortalitèr? Non determinavit S. Th. nec is sum ego, qui determinare ausim. Equidèm quidam dicunt, posse sine novo peccato diferri ad annum; quod non probo. Alii ad 4. aut 5. menses; quod nec nego, nec affirmo. Id unum mihi certum videtur esse illicitum ultrà differre: quia mora ultrà 4. aut 5. menses videtur diuturna, maximè si attendatur ad principium Auctoris. Sicùt ergo, qui ultrà 4. aut 5. menses differret elicere actus fidei & charitatis, meo saltèm judicio, non eximeretur a peccato, ità qui omitteret contritionem. Equidèm sunt distincta præcepta, sed æquè ad minùs urget præceptum contritionis, ac præceptum fidei & charitatis.

Neque obstat, quòd Ecclesia præcipiat Confessionem semèl tantùm in anno. Sunt enim distincta præcepta, & Ecclesia præcipiens semèl tantùm in anno modum justificationis per confessionem, non negat adhibendum esse citiùs alium modum per contritionem: rariùs autèm præcipit confessionem, fortè quia est homini valdè odiosa, non contritio; & scit peccatorem posse aliàs via justificari. Non etiàm obstat, quòd Confessarii non interrogent pœnitentes, qui ab anno non sunt confessi, àn hoc præceptum intrà anni decursum impleverint. Nec enim etiam interrogare solent, àn per id tempus actus fidei, spei, & charitatis elicuerunt, quorum tamèn obligatio urget. Dicendum itaquè videtur, quòd, qui ab anno non sunt confessi, vel sunt consuetudinarii, & ii satis intèlliguntur defuisse præcepto; vel non sunt consuetudinarii, & ii, cùm deposuerint affectum peccati, & intersint Missæ, divinis officiis, exhortationibus & prædicationibus, præsumuntur interdùm elicere actus contritionis

& virtutum Theologicarum. Cæterùm consultum foret, ut & pœnitentes de iis se examinarent, & Confessarii interrogarent.

Dico 4. Præceptum contritionis obligat per accidens 1. totiès quotiès requiritur status gratiæ ad aliquod aliud præceptum adimplendum. Undè obligat, quandò homo tenetur recipere aliquod Sacramentum vivorum; quotiès sunt administranda Sacramenta. 2. Per accidens obligat, quandò urget gravis tentatio, quam sine contritione homo moralitèr superare non potest. 3. In casu publicæ necessitatis, quandò creditur Deum punire populum propter peccata particularia. Quidam addunt casum, dùm est periculum, ne peccata oblivioni tradantur; sed non videtur admittendus, quia peccata oblita possunt esse objectum contritionis.

Cæterùm adverte, hanc esse differentiam inter præceptum obligans per se, & obligans per accidens; quòd, qui transgreditur præceptum obligans tantùm per accidens, non committat peccatum speciale contra tale præceptum, sed tantùm contra præceptum, ratione cujus obligat. Undè, qui celebrat in peccato mortali, non peccat nisi peccato sacrilegæ celebrationis, at non peccato speciali impœnitentiæ contra præceptum contritionis; quia, licèt verè tùnc obliget, non tamèn ratione sui, sed ratione Sacramenti Eucharistiæ. Qui verò transgreditur præceptum per se obligans, committit peccatum speciale contra tale præceptum: undè, qui non contereretur, quandò obligat per se præceptum contritionis, peccaret peccato speciali impœnitentiæ, ut dictum est.

Solvuntur objectiones contra 2. Conclusionem.

OBJ. 1. contra 1. & 2. partem 2. Conclusionis. Eccli. 5. dicitur: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Apocal. 2. dicitur Episcopo Ephesino: *Age pœnitentiam; sin autèm veniam tibi citò, & movebo candelabrum tuum de loco tuo.* SS. Patres invehuntur in eos, qui suam pœnitentiam procrastinant. S. Th. q. subseq. 6. art. 5. o. docet, nos ad contritionem teneri, *quandò peccata memoriæ occurrunt.* Et 2. 2. q. 62. art. 8. docet, non licere, vel uno momento in peccato manere. R. hæc pro majori parte probare 3. Conclusionem, non impugnare primam. Itaquè ad 1. auctoritatem, ea non prohibetur quæcumque dilatio, sed illa, quæ fit ultrà rationabile tempus, seu, ut exprimitur, *Tardatio*; tardare autèm non censetur, qui non facit tàm citò, quàm potest, sed qui non facit eo tempore, quo faciendum est. Sic Deus 2. Petr. 3. dicitur non tardare suam promissionem, licèt non statim atque potest, adimpleat, sed convenienti tempore. Sic dicitur non tardare ire ad sacrum, qui non vadit statim quàm potest, sed qui vadit cùm oportet, etsi potuisset citiùs. Ad 2. per hæc verba: *Veniam tibi citò*, intelligitur dies mortis, vel saltèm ad summùm important speciale præceptum impositum illi Episcopo, quod non debet extendi ad omnes. Ad SS. Patres. Potissimùm locuuntur de dilatione usquè ad tempus mortis, aut ultrà rationabilem terminum; vel non nisi concionatorìè saluberrimum inculcant consilium.

Ad 1. locum D. Th. non dixit simplicitèr S. Doctor, peccatorem teneri ad contritionem statim, cùm peccata memoriæ occurrunt: sed immediatè subjunxit: *præcipuè, cùm in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione oporteat eum peccatum incurrere.* Quo loquendi modo significat, quòd, quamvis possit esse aliqua negligentia, quandò quis habet memoriam peccatorum, non conterit, cùm possit; non sit tamèn mortale peccatum, nisi aliqua necessitas adsit; imò, nec veniale, si quamvis sit nùnc opportunum utcumquè, major expectetur opportunitas. Ità Sylvius. Neque certè fas est de mente S. Th. dubitare, cùm ex ejus verbis, & rationibus ibidèm Conclusio nostra probetur. Ad 2. Equidèm non licet, vel uno momento manere in peccato quoad affectum, seu continuando illud, quomodò manetis, qui, cùm potest, non restituit, de isto enim loquitur D. Th. loc. cit. non autèm de eo, qui in peccato remanet quoad reatum, seu habitualitèr tantùm, sine affectu ad ipsum; hoc autèm sensu procedit nostra Conclusio.

Inst. Peccat, ex solutione data, qui non statim restituit rem, vel honorem alienum, cùm potest: ergo similitèr, qui non statim per contritionem reparat honorem Dei peccato violatum. R. N. Conseq. Disparitas est, quòd homo gravetur, & patiatur damnum ex absenta rei, vel honoris sui; nullum autèm Deus ex dilatione pœnitentiæ nostræ. Undè nequidèm peccaret homo restitutionem differendo, si sciret dominum nullatenùs indè damnificandum.

Obj. 2. Præceptum contritionis includit negativum, scilicèt non permanendi in peccato, & inimicitia Dei: ergo. Prob. Ant. Si non sit præceptum non permanendi ullo tempore in peccato, & odio Dei: ergo licet in eo manere: ergo iterùm licet velle in eo manere; atqui falsum secundum Consequens, cùm velle manere in peccato, & odio Dei, sit de objecto intrinsecè malo: ergo. Prob. Sequela; licet velle, quod licet facere; atqui licet manere, &c. ergo licet velle manere. R. N. Ant. Ad Probat. N. secundam illationem. Ad Probat. D. Maj. Licet velle, quod licet facere positivè, C. quod licet facere negativè, seu permissivè tantùm, N. Maj. Ad cujus sensum D. Min. Licet manere in peccato, & odio Dei per actum positivum eligendo illam mansionem, N. per actum negativum, non expellendo illam, seu eam merè permittendo, C. & N. Conseq. Quia velle importat actum possitivum specificandum a suo objecto, ac proindè malum, si objectum sit malum; secùs autèm manere negativè, seu permissivè. Et sic licet nobis plura permittere, seu facere negativè, quæ non licet velle. Sic licet mihi permittere, peccatum Petri, & tamèn non licet mihi illud velle. Licet mihi permittere furi, ut me occidat, & tamèn non licet mihi hoc velle.

Subsumes; atqui, qui non a se removet inimicitiam Dei, dùm potest, censetur illam velle possitivè, saltèm interpretativè: ergo. R. D. Subsumptum: dùm potest, & obligatur, C. si non obligatur, N.

Repones. Qui omitteret impedire peccatum Petri, dùm potest, etsi non teneretur, omissio illa esset ipsi voluntaria: ergo, qui omittit removere inimicitiam Dei, dùm potest, etsi non teneatur, inimicitia Dei est ipsi voluntaria. Patet Ant. ex Tractatu de Actibus humanis, ubi docetur, quòd, ut omissio sit voluntaria, non requiratur obligatio ponendi actum, qui omittitur. Consequentia patet a paritate rationis. R. Concesso Ant. N. Conseq. Quia fit transitus ab omissione ad effectum ejus. Undè, ut rectè inferatur, debet poni: ergo, qui omittit removere inimicitiam, &c. omissio illa est ipsi voluntaria; non verò ipsa inimicitia, quæ est effectus sequens ad illam omissionem; quia, ut docetur ibid. de Actibus humanis, ut effectus sequens ad omissionem sit voluntarius, requiritur præceptum ponendi, vel impediendi illum; sicùt in exemplo allato, licet omissio impeditionis peccati Petri sit mihi voluntaria, peccatum tamèn Petri sequens ad illam non est mihi voluntarium, nisi possim, & debeam impedire. Et hinc solvitur argumentum sequens præcedenti affine. Undè

Obj. 3. Si esset aliquod tempus, in quo non obligaret præceptum contritionis, liceret eo tempore velle non conteri; atqui numquàm hoc licet: ergo. Prob. Min. 1. quia hoc objectum non conteri, non est bonum. 2. qui vult non conteri, virtualitèr, & interpretativè vult statum peccati, & inimicitiam Dei, cùm nolit adhibere medium necessarium per se ad tollendum utrumque: ergo. R. 1. Ad Maj. Quod ad veritatem Conclusionis nostræ non sit necessarium, quòd peccator actu possitivo velit non conteri, sed potest alio divertere mentem, ex quo quidèm sequitur omissio contritionis. R. 2. Data Maj. N. Min. Ad 1. ejus Probationem dico, quòd non conteri pro tempore, quo non obligat præceptum secundùm se, neque sit bonum, neque malum, sed indifferens, quod potest ex circumstantia alicujus finis honestari; ut si quis eo tempore, quo non obligat præceptum pœnitendi, velit non conteri, ut studio, charitati proximi, vel alteri rei bonæ vacet; licèt enim objectum cujuscumque præcepti sit bonum, carentia tamèn illius non est sempèr mala, nisi pro tempore quo tale præceptum obligat. Sic honorare parentes est bonum; non honorare non est malum, nisi quandò urget præceptum honorandi. Si autèm nolit conteri ex alio motivo non ità bono, poterit esse actus otiosus, & venialitèr malus. Ad 2. Probationem, N. Ant. Solutio patet ex præcedentibus; effectus enim sequens ad omissionem non est voluntarius, nisi sit obligatio impediendi illum: non est autèm obligatio, ut probatum est, & supponitur pro tali tempore impediendi permanentiam in peccato, & odio Dei, sequentem ad omissionem contritionis. Sic, licèt Deus velit non dare gratiam vitandi peccatum, omissio illius dationis est quidèm ipsi voluntaria, sed non peccatum ad ipsam sequens; quia non tenetur impedire peccata. Sic gubernator non dicitur causa submersionis navis, ex hoc quòd non gubernet navim, nisi quandò substrahit gubernationem, potens, & debens gubernare, ut ait S. Thom. 1. 2. q. 79. art. 1.

Inst. 1.; atqui pro quovis tempore tenetur peccator avertere statum peccati, & odium Dei: ergo. Prob. Ant. 1. Pro quovis tempore tenetur peccator avertere a se omnium malorum maximum; atqui status peccati, & odium Dei est omnium malorum maximum: ergo. 2. Statim, & quolibet tempore tenetur excutere e sinu serpentem; atqui tenemur fugere peccatum, tanquàm a facie colubri, Eccli. 21. ergo. R. N. Subsumptum. Ad 1. Prob. D. Maj. Pro quovis tempore tenetur peccator avertere a se omnium malorum maximum, si indè immineat grave nocumentum, C. Maj. secùs, N. Maj. Similitèr D. Min. Status, &c. est omnium malorum maximum, & ex eo quovis tempore imminet grave nocumentum, N. Min. Non imminet sempèr grave detrimentum, sed leve dumtaxàt, C. undè, & ratione hujus levis nocumenti, puta privationis abundantioris gratiæ, periculi remoti mortis in peccato, &c. non diffitemur esse peccatum leve negligentiæ salutis, non statim conteri, si nulla causa subsit differendi. Ad 2. Probationem,

N. Conseq. Disparitas est, quòd serpens in sinu sempèr noceat, & mordeat, non ità peccatum habituale, cujus voluntas, ut suppono, est interrupta. Locus autèm Eccli. intelligitur de peccato actuali, non habituali.

Inst. 2. Atqui ex dilatione contritionis grave nocumentum imminet sempèr: ergo. Prob. Subsumptum: Imminet periculum peccandi, cùm, teste S. Gregorio, unum peccatum suo pondere trahat in aliud, & privatus gratia habituali non possit diù omnia peccata vitare, ut dictum est ex D. Thom. in tertia Conclusione. R. hoc periculum esse remotum, saltèm si non diù, nec ultrà rationabile tempus differatur contritio. Itèm est indeterminatum, sicùt est indeterminatum tempus, quo privatus gratia potest abstinere a peccato. Licèt autèm homo sub gravi peccato teneatur evitare proximum, & certum peccandi periculum, non tamèn remotum, & indeterminatum.

Inst. 3. Quilibet tenetur statim corripere fratrem delinquentem: ergo a fortiori seipsum. Itèm infidelis plenè instructus tenetur statim credere: ergo. R. Ad primum: 1. N. Ant. Tenemur enim corripere fratrem deliquentem, non sempèr statim, sed data opportunitate; nisi urgeat aliqua necessitas, puta periculum novi peccati, vel quòd non occurret ampliùs opportunitas; & in tali casu, fatemur, nos etiàm ità debere circà nos agere. 2. N. Conseq. Disparitas est, quòd homo sibi sempèr sit præsens, sempèrque habeat opportunitatem se corrigendi; non sic autèm circà alterum. Ad 2. posset negari Ant. Nihil enim obstare videtur, quòd infidelis, cui fides proponitur, ex justis causis differat ad aliquas horas, aut diem, eam acceptare. Sed dato Ant. N. Conseq. Disparitas est, quòd infidelis, cui sufficientèr fides proponitur, se habeat quasi puer in primo instanti rationis; cui incumbit agnoscere, & acceptare Deum pro fine ultimo, cui omnes suas actiones dirigat: alioquin exponitur continuo, & proximo periculo deviandi, & perdendi salutem. At peccator fidelis agnoscit Deum pro fine ultimo, licèt peccando ei practicè creaturam prætulerit. Ne tamèn inferas, eum, qui commisit peccatum infidelitatis, teneri statim ad actum fidei; quia hoc ipso quo deponit affectum ad infidelitatem, censetur vi prioris fidei, absquè novo actu, agnoscere Deum pro suo fine ultimo: sicùt, qui adversùs suum Regem insurrexit, & ad partes tyranni defecit, hoc ipso quo arma deponit, censetur suum legitimum Regem agnoscere, etiàm antequàm de novo ipsi spondeat fidelitatem.

ARTICULUS IV.

De divisione Contritionis.

Contritio in genere, ut suprà diximus ex Concilio Trid. est animi dolor, & detestatio de peccato commisso. Est duplex, perfecta, & imperfecta. Perfecta, quæ antonomasticè dicitur contritio, est quæ charitate perficitur, & justificat antè susceptionem Sacramenti, ut definit Trid. Sess. 14. cap. 4. Imperfecta autem, quæ dicitur attritio, est multiplex; quia a perfecto deficere contingit pluribus modis.

Itaquè dolore de peccato, seclusa charitate, vel quia est aliquid turpe repugnans rationi, sive naturali, sive supernaturali, vel quia est illativum mali temporalis, vel quia est inductivum gehennæ, vel quia est exclusivum gloriæ, vel quia est malum, & offensa Dei, tot sunt modi attritionis; sed sola ultima est actus pœnitentiæ, & species dividens contritionem ut sic. Pœnitentia enim, & contritio, quæ est ejus actus primarius, est de peccato, ut est malum, & offensa Dei, ut diximus Dissert. 2. art. 1. Aliæ autem attritionis sunt actus, vel amoris proprii, vel spei, seu amoris concupiscentiæ, vel virtutis specialis, cui opponitur peccatum. Confer locum cit. Hæc autèm ultima attritio, cùm sit de peccato ut est malum Dei, non potest esse sine aliquo ejus amore, quia odium mali alicujus personæ ex amore ejusdem, & benevolentia ad ipsam causatur, ut docent communitèr Theologi post D. Thomam 1. 2. q. 29. art. 2. Sic doleo de malo Petri, quia ipsum diligo; & si non diligerem, de malo ejus non dolerem, sic odi mortem, quia diligo vitam: *Ejusdem enim rationis est*, inquit Auctor 2. 2. q. 25. art. 6. ad 1. *odire malum alicujus, & diligere bonum ejus*, quod repetit q. 34. art. 4.

Neque tamèn hæc attritio coincidit cum contritione charitate perfecta. Aliud enim est charitas, qua perficitur contritio, aliud benevolentia, qua movetur dicta attritio; quòd cùm plerique non satis distinguant, confundentes amorem charitatis cum amore benevolentiæ, magna hallucinatione laborant. Itaquè amor charitatis est amor amicitiæ cum Deo, ut ex professò probat. S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 1. & cum eo communitèr Theologi, consequentèr importat conditiones amititiæ, præcipuè unionem affectuum, & redamationem; amicus enim est amico amicus, ut fert commune adagium. Amor autèm simplicis benevolentiæ est velle alicui bonum sine redamatione, ut dùm vides duos pugiles, quorum unum velles vincere. Undè objectum formale charitatis est Deus in se bonus ut amicus, non quòd ly *ut amicus* sit ratio formalis objecti, sed ejus modificatio, seu conditio sine qua non, sicùt Deus non visus in objecto fidei. Objectum autèm formale amoris benevolentiæ est Deus in se bonus præcisè. Consequentèr objectum contritionis charitate perfectæ est peccatum ut malum Dei qua amici, intelligendo ly *ut amici*, ut in objecto charitatis: Objectum verò attrionis est peccatum ut malum Dei præcisè. Ex quo tandèm sequitur, has contritiones specie differre. Hæc fusiùs explicabuntur infrà. Sed interim colliges (*Suppl. q. art.* 3.) attritionem hanc ex amore benevolo non posse fieri contritionem; quia quæ specie differunt, unum non potest fieri aliud. Unum namquè dicitur fieri aliud, quando alio adveniente essentialitèr non mutatur; sic puer dicitur fieri vir, non verò embryo dicitur fieri homo, sed ex embryone homo.

Aliam quidèm rationem adhibet Auctor in corpore articuli, nimirùm quòd adveniente actu contritionis transeat actus attritionis. Verùm hanc rationem ut universalitèr veram non admittunt Soto, Sylvius, & alii; quia, inquiunt, nihil obstat, quominùs actus attritionis, cum sit bonus, aliquandiù continuetur; & adveniente charitate, qua informetur, evadat contritio; sicùt potest accidere actui fidei informis. Undè intelligunt hanc S. Thom. rationem, non ut universalitèr veram, sed secundum quòd regulariter accidit: vel dicunt, S. Doctorem, cùm ibi ageret partes Commentatoris, non ex propria sententia locutum fuisse; idque probant, quia in fine corporis addit: *Et hoc dicit* alia opinio. Insupèr, quia ad 2. cum adhibuisset Responsum secundum hanc rationem, haùd eo contentus addit aliud conforme rationi in argumento sed contrà, undè priorem rationem deduximus. Attamèn Vincentius Contenson acritèr propugnat hanc secundam rationem D. Thom. ut universalitèr veram, eo quòd actus attritionis non possit informari charitate, & evadere contritio, nisi in eum influat charitas; a charitate autèm sic imperatus erit novus actus, quia istud imperium charitatis illi imprimit quemdam modum, quo reduplicativè ut imperatus intinsecè mutatur, & trahitur ad speciem charitatis. Sed quidquid sit de ista difficultate, quæ est levis momenti.

Habes juxta utramque sententiam sensum hujus communis adagii: *Pœnitens in Sacramento ex attrito fit contritus*, non esse formalem, quasi attritio fieret contritio; sed materialem, & ex parte subjecti, quatenùs Pœnitens transit de attritione ad contritionem, sicùt paries de albo fit niger, non alvedo fit nigredo. Dicitur autèm fieri contritus, tùm ratione habitûs charitatis, qui ipsi infunditur, tùm ratione actûs supernaturalis, quo voluntariè gratiam, & charitatem acceptat, ut dicam infrà.

Circa attritionem plures sunt celebres controversiæ: 1. àn ea, quæ concipitur ex solo metu Gehennæ, sit bona, & utilis? 2. àn se sola excludere possit voluntatem peccandi? 3. àn sufficiat cum Sacramento ad justificationem, àn e contrà requiratur aliquis Dei amor, & qualis? De his ordine disputaturus, sit

ARTICULUS V.

Utrùm Attritio, concepta ex solo metu Gehennæ, sit bona, & utilis?

Lutherani contendunt, omnem attritionem ex metu conceptam esse coactam, & malam, hominemque reddere magis peccatorem, & hypocritam, etiamsi interveniat aliquis Dei amor. Ità Lutherus, qui in assertione articuli 6. rejicit *Theologiam illam, quæ inter odium, & gratificantem amorem medium fingit, quòd contritionem parit*. Et in assertione articuli 4. dicit: *Imperfectam charitatem esse impedimento ad introitum Regni propter vitium, quo imperfecta est*. Undè Eckius l. 1. de Pœnit. c. 1. dicit in hoc sitam esse controversiam inter Catholicos, & Lutherum, iste vellet *pœnitentiam non nisi amore concipi*; & hinc inferebat, *eum, qui sibi contritionem parare vellet in amaritudine animæ suæ, reddi hypocritam, & magis peccatorem*. Idque Lutherus conformitèr ad hoc suum capitale dogma, nimirùm omnem actionem, quæ non provenit a charitate habituali, & sanctificante, esse verum peccatum, atque sine illa hominem peccatorem tantò magis a gratia consequenda removeri, quantò magis ad illam se disponere conatur. Undè sermone de Pœnit. *Ego*, inquit *peccatum assero, quidquid ante gratiam fit ab homine: tantùm abest, ut præparet ad gratiam*.

Huic affines sunt Baius, Jansenius, Quesnellus, & eorum Symmistæ; qui, cùm non agnoscant medium inter cupiditatem vitiosam, & laudabilem, ac proprié dictam charitatem, dicantque omne, quod homo facit, prodere vel a cupiditate, & esse malum, vel a charitate, & esse bonum; consequentèr rejiciunt timorem pœnarum, & attritionem ex illo conceptam tanquàm malam, & vitiosam. Vide propositiones damnatas Quesnelli a 44. ad 47. & a 60. usquè ad 68.

An-

Ante resolutionem observandum est 1. (2. 2. *qt* 19. *art.* 2. *o*) Ex Auctore timorem esse quadruplicem; mundanum, servilem, initialem, & filialem. Cum enim objectum timoris sit malum, quandoquè homo propter mala, quæ meruit, a Deo recedit; & ijte dicitur timor mundanus. Quandoquè autèm homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur, & illi inhæret; quod quidèm malum est duplex, scilicèt malum culpæ, & malum pœnæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis; si autèm propter timorem culpæ, erit timor filialis; nam filiorum est timere offensam Patris. Si autèm propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem. Ità in terminis S. Doctor. Igitur timor servilis, proùt de eo nùnc loquimur est timor pœnæ a Deo infligendæ, ob quam evitandam homo ad Deum convertitur.

Observandum 2. (*Ib. art* 4. *o.*) ex eodem S. Thom. timorem servilem posse considerari duplicitèr, scilicèt secundum substantiam, & secundum servilitatem; seu, ut alii dicunt, esse duplicem timorem servilem, unum simpliciter servilem, alterum servilitèr servilem. Timor servilis secundum substantiam, seu servilis simpliciter, est, quandò bonum, cui contrariatur pœna, non amatur tamquàm finis ultimus, nec consequentèr pœna timetur tanquàm principale malum; ut in præsenti materia, si quis fugit peccatum ex timore pœnæ, non habens bonum proprium, cui contrariatur pœna, pro fine ultimo, sed proximo dumtaxàt, nec consequentèr timens pœnam ut principale malum, sed abstrahens ab hoc quòd ageret, si non esset intentata pœna. Timor servilitèr servilis est, quandò bonum, cui contrariatur pœna, amatur tanquàm finis ultimus, & consequentèr pœna timetur ut principale malum; ut in subjecta materia, si quis refugeret peccatum committere ex timore pœnæ, habens pro fine ultimo proprium bonum, consequentèr timens pœnam ut principale malum, ità quòd vi istius actûs vellet peccare, si potest impunè: & iste metus servilis, qua talis, seu secundum servilitatem contrariatur charitati, & est malus. At verò, addit S. Thom. prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris, sicùt nec informitas ad speciem fidei, species enim habitûs moralis, vel actûs ex objecto accipitur: objectum autèm timoris servilis est pœna, cui accidit quod bonum, cui contrariatur pœna, vel ametur tanquàm finis ultimus, & consequentèr pœna timeatur, ut principale malum; quod contigit in non habente charitatem; vel ordinetur in Deum sicùt in finem ultimum, & consequentèr pœna non timeatur, ut principale malum; quod contingit in habente charitatem. Undè servilitas non est vitium timoris, sed timentis: & ideò timor servilis secundum substantiam est bonus, servilitas verò mala. Hæc accuratè sunt notanda; quæ quia non distinguunt Novatores, in varios errores abeunt. Itaquè

Dico. Attritio, seu dolor de peccatis ex solo gehennæ metu, sine ullo Dei amore benevolo, etiamsi nondùm sit satis efficax, ut absolutè excludat omnem peccandi voluntatem, si tamèn ad id conetur, & inducat, nec sit servilitèr servilis, est bonus, honestus, & utilis. Prob. 1. Ex Concilio Trid. sess. 6. can. 8. ubi sic definit contra Lutherum: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit*. Itèm ex hac propositione damnata ab Alexandro VIII. 7. Septembris 1690. *Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus, ac supernaturalis*. Est 15. Hùc faciunt sequentes propositiones damnatæ Quesnelli. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem*. Est 68. Itèm: *Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Est 62. Aug. in Ps. 127. serm. 161. aliàs 18. de verbis Apost. & libr. de catechizandis rudibus latè exponit bonitatem, & utilitatem timoris. Inter alia loco cit. *Timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: Non timet, ne perdat amplexus sponsi pulcherrimi, sed timet ne mittatur in gehennam: Bonus est, & iste timor*. De S. Thom pateat ex prænotaminibus. Itèm probavimus suprà ex Trid. & eodem S. Thom. principium veræ pœnitentiæ, & justificationis peccatoris esse timorem servilem. Idem tradit Scriptura in pluribus locis, quæ referemus in calce articuli: ergo dolor ex illo timore conceptus non potest esse malus.

Prob. 2. ratione Theologica. In attritione, qualem in Conclusione exposuimus, tria sunt: 1. intentio finis, scilicèt fugere, seu vitare gehennam, & hic est actus elicitus a timore: 2. medium etsi nondum efficax ad hunc finem assumptum, scilicèt dolor de peccatis; & hic est actus imperatus a timore: 3. ordinatio hujus medii ad hunc finem; atqui quodlibet istorum est honestum, bonum, & utile: ergo. Prob. Min. 1. fugere gehennam est bonum, cum sit homini nociva, & omnium malorum sensibilium maximum. Undè dicebat Christus Matth. 10. *Timete eum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam*: & clamabat David: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. Dolorem de peccatis esse bonum, nullus in dubium revocare potest. 3. Tandèm esse bonum ordinare hunc dolorem ad vitandam gehennam constat, quia dolor de peccato, quod est causa pœnæ, est medium aptum ad vitandam pœnam. Undè dicebat divinus Præcursor Luc. 3. *Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ*. Quibus verbis hortatur Judæos ad pœnitentiam ex timore conceptam. Et Isai. 26. *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum sapientiæ*. Nec obstat, quòd culpa sit malum altioris ordinis, quàm pœna; ideòque videatur inordinatum ordinare dolorem de majori malo ad vitandum minus: modò enim dolor de peccatis non ordinetur ad fugam pœna tanquàm ad principale malum, & ultimum finem, sed tantùm tanquàm ad magnum malum, & finem proximum, ità ut non excludatur ulterior relatio ad Deum, non est mala ordinatio, sed bona, ut dixi ex D. Thom. & quia bona, ideò ex se tendit in Deum. Sic quotidiè orando pro bonis temporalibus ordinamus bonum altioris ordinis nempè actum Religionis, ab bonum inferius, & benè facimus. Imò ipse Deus ordinat bonum excellentioris ad bonum inferioris ordinis, quandò utrumque ultimò cedit in suam gloriam; sic enim ordinavit Incarnationem Christi ad nostram salutem, ut ad finem proximum.

Dixi 1. Conclusione: *Si tamen timor conetur, & inducat ad excludendam voluntatem peccandi*; quia, si induceret ad odium Dei, aut desperationem, esset malus; & ità sempèr fieri, erronè existimavit Lutherus, cùm tamèn sæpiùs indè peccatores convertantur ad Deum. Dixi 2. *Nec sit servilitèr servilis*, qui sit scilicèt de pœna, ut principali malo; quia dolor ex tali metu, qui respiceret pœnam, ut principale malum, & ejus fugam ut finem ultimum, esset inordinatus, ut dictum est.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Apost. Rom. 8. dicit: *Non accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Et 2. Timot. 1. *Non dedit Deus nobis spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis*: ergo. R. Apostolum his verbis non excludere a lege Evangelica omnem timorem si quidèm Christus ipse Matth. 10 dicat: *Timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam*; sed timorem servilem malorum temporalium, ut erat in veteri lege. Sensus est igitur, nostram conditionem in nova lege esse meliorem, quàm Judæorum in veteri lege, quatenùs Deus eos continebat in observantia mandatorum, vel metu malorum temporalium ut servos, vel spe mercedis terrenæ ut mercenarios; nos verò ducimur timore filiali, quo timemus exhæredari, & frustrari spe obtinendi hæreditatem filiis promissam. Ità exponit Aug. libr. de Virginit. & in Ps. 73. Cæterùm non defuit amor in antiqua lege; fuerunt enim in ea Sancti, non sine perfecto Dei amore: sed discrimen est, quod in antiquo testamento prævaluerit timor, & in novo amor: *Quamquàm utrumque in utroque sit*, inquit Aug. libr. 1. de moribus Ecclesiæ c. 28. *prævalet tamen in vetere timor, amor in novo*. Et hinc meritò damnatæ sunt hæ propositiones Quesnelli: *Sub maledicto legis numquàm fit bonum; quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando*: est 64. Itèm *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absquè eo quod ullum Deo dederint filium, cùm non efficerent nisi mancipia per timorem*: est 65. Si quandoquè SS. Patres, præsertim Aug. videantur improbare metum, loquuntur, vel de metu servilitèr servili, vel de metu bonorum temporalium; vel illum improbant, & dolorem ex eo conceptum tanquàm insufficientem ad justificationem.

Obj. 2. Dolor ex metu, non excludente voluntatem peccandi, est involuntarius secundùm quid, sicùt omnia alia, quæ fiunt ex metu: ergo non est bonus. R. D. Ant. Dolor ex metu, non excludente voluntatem peccandi, est involuntarius secundùm quid, sic, ut ista involuntarietas, ut ità dicam, proveniat ex metu, aut dolore de peccatis, N. sic, ut ista involuntarietas proveniat ex affectu peccatoris ad suum peccatum, C. Iste autèm affectus ex parte subjecti non vitiat ipsum metum, neque dolorem ex ipso conceptum, cùm sit illis extrinsecus. Quandò ergo dicitur ea, quæ fiunt ex metu, esse involuntaria secundùm quid, non est sensus, quòd metus causet istam involuntarietatem. Sic v. gr. projiciens merces in mare metu nanfragii est quidèm involuntarius respectu projectionis mercium; at neque metus naufragii, neque ista projectio mercium causant istam involuntarietatem; sed affectus, quem aliundè habet ad merces. Similitèr, qui metuit gehennam, & ex illo metu dolet de peccatis involuntarietas, quam retinet circà fugam peccati, non causatur neque ex isto metu, neque ex isto dolore, sed ex affectu, quem adhùc retinet ad peccatum; quem affectum si nondùm excludat metus, ad id tamèn conatur, & disponit. Undè est vitium timentis, & dolentis, non metûs, aut doloris, ut jam dixi. Attende ad prænotamina ex D. Thom.